



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros Decretalium, Tomus ...

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. II. De interdicto possessionis adipiscendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

cam, interdictum dabo; ita Zoësius in 4. Instit. tit. 15. in addit. n. 2. hæc jure antiquo; nam hodie rectâ viâ, & extra ordinem proponi solet actio, & causa interdicti; hinc moribus multorum locorum hodie non apparet differentia aliqua quoad procedendi modum, nisi sola nominis; ut alia sint judicia *possessoria*, quæ ex interdictis originem habent; alia *petitoria*, quibus de Dominio, vel proprietatibus disceptatur.

1083. Not. 3. ex Zoëf. tit. in addit. n. 5. locò interdictorum hodie esse *mandata judicialia*, quæ ad postulationem partium emanare solent à Camera Imp. supremisque Conciliis, quibus aut jubetur aliquid fieri, aut fieri prohibetur, factâ scilicet inhibitione alicui, ne turbet alterum in possessione. Quod si quid juris existimet sibi competere, sentiatque, se tali mandato gravatum, tunc compareat in judicio; Oldendorp. class. 2. act. 4. & act. 6. in affinis. remed. ita rectè hæc dicemus prohibitoria interdicta comprehendere sub mandatis inhibitorialibus; restitutoria, & exhibitoria sub mandatis compulsorialibus; his præmissis:

§. II.

De interdicto possessionis adipiscende.

1084. Hoc interdictum tendit ad possessionem *de novo* acquirendam, ut ei tantum sit utile, qui possessionem, quam nunquam habuit, adipisci desiderat; non etiam, qui eam nactus, amisit; ita Zoësius cit. §. sequens divisio n. 6. Hoc interdictum subdividitur in alia tria interdicta; ex quibus primum vocatur *quorum bonorum*, cujus actio competit hæredi, qui necdum bona hæreditatis possedit, ut possessionem acquirat contra illos, qui temerè hæreditatem defuncti occuparunt; nam, si nemo occupasset, posset propriâ auctoritate possidere, quamvis deceat officium Judicis adhiberi: alterum, quod *legatariorum* competens hæredi contra legatarium, qui rem sibi legatam propriâ auctoritate occupavit; æquissimum enim Prætori visum est, neminem sibi ipsi jus

dicere, sed ab hærede petere legatum; itaque hac actione petit hæres, ut legatarium restituat possessionem in hunc finem, ut hæres possit detrahere Falcidiam: tertium dicitur *Salvianum*, quo succurritur domino fundi contra colonum, & conductorem ad acquirendam possessionem earum rerum, quæ in fundum locatum colonus intulerat, & eo ipso tacitè obligata erant Dominio pro pensione fundi.

§. III.

De interdicto quorum bonorum.

1085. **S**upponendum, aliquos succedere defunctis jure, & hi dicuntur *hæredes*; alios jure Prætorio, & hi dicuntur *possessores*, de quibus est tit. 10. l. 3. Instit. Quia verò contingit aliquando, quod bona hæreditatis alius possideat, v. g. pro hærede, hoc est, qui bona fide putat se hæredem esse, cum non sit; aut pro possessore, id est, qui nullo jure possidet hæreditatem, vel ejus partem, sciens ad se non pertinere; quo fit, ut hæres impediatur à possessione hæreditatis adipiscenda; & si olim *via actionis* procedendum foret, hæres longo tempore possessionem hæreditatis sibi debite non obtineret: ideo Prætor hoc interdictum *possessorium quorum bonorum* introduxit ad possessionem obtinendam, cum longè sit utilius, hæredem possidere, & Adversarium ad onera probationis compellere; quàm alio possidente, petere.

1086. Unde legis Consilium est, ut, habens utrumque remedium (*possessorium* scilicet, & *petitorium*) primo loco intenteat *possessorium*. 1. quia si in hoc obtinet, fit Reus in petitorio; & relevatur ab onere probandi in petitorio, quod est magnum commodum, cum Dominii probatio sit difficillima; 2. quia esto succumbat in petitorio, salvum ei manet petitorium; sic Schneidewin. ad tit. 15. l. 4. Instit. his præmissis: De hoc remedio in ff. h. t. sic Prætor loquitur: *Quorum bonorum ex edicto meo illi possessio data est, quod de his bonis pro hærede, aut pro possessore possides, possideresve, si nihil usucaptum esset (quod quidem dolo malo fecisti) uti des-*